





1774, 12.  
7

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
QVID INTERSIT  
**IN FVNDVM ET VSVM FRVCTVM**  
**FVNDI IN DOTEM DATVM**

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

S O C I O

**IN AVDITORIO IVRIDICO**

DIE XXVIII. SEPT. ANNO CCCCCCLXXIV.

D E F E N D E T

**CAROLVS SEBALDVS KLEIN**

PEGAVIENS.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

17. CONVENTUS

IN COLLEGIA

V I R O  
C O N S V L T I S S I M O  
A M P L I S S I M O E X C E L L E N T I S S I M O  
**I O A N N I   C O N R A D O**  
S T I E G L I T Z  
I C T O  
E T A C A D E M I A E A L T O R F I N A E R E I P V B L I C A E  
N O R I C O R V M  
A N T E C E S S O R I   C E L E B E R R I M O  
E T F A C V L T A T I S I V R I D I C A E A S S E S S O R I  
M E R I T I S S I M O  
P A T R O N O   P I E   C O L E N D O.

ОКИВАЕТ ВАКУМ  
БЫСТРОЕ ПОДЪЕМНОЕ  
СОПРОТИВЛЕНИЕ ОЧЕНЬ

# ОБАЗКОВ ТИАСІ ЛІКОВІ

сті

СТАВЛЯЮЩІ ПІДІМНІ  
СТАВЛЯЮЩІ ПІДІМНІ  
СТАВЛЯЮЩІ ПІДІМНІ

МІКІЛІ

СТАВЛЯЮЩІ ПІДІМНІ

СТАВЛЯЮЩІ ПІДІМНІ

101

VIR CONSULTISSIME  
AMPLISSIME EXCELLENTISSIME

PATRONE OPTUME

*C*um ex Saxonum lege finitis studiis publicum specimen esset exhibendum bene peracti temporis et acquisitarn scientiarum, nemirem habui, cui simul obseruantiae ac pietatis documentum exhibere me obstrictum sensi, quam **TE VIR CONSULTISSIME.** Coniunctionis et necessitudinis vinculum, quod nominis **TVI** celebritas venerabile reddit, primaria causa fuit, quae me impulit, vt occasionem eo lubentius eoque promptius apprehenderem, me **TVO PATROCINIO TVO que FAVORI** commendandi. Evidem haerebam ob libelli, quasi **TVO NOMINI** indigni tenuitatem: at apud animum **TVAM** reputans indulgentiam et beni-

beniuolentiam, timorem, quem alebam, superau. Ac-  
cipe itaque leuissimum hoc pietatis et reuerentiae mo-  
numentum ea humanitate et benignitate, quae TIBI  
propria, simulque permitte, vt publice fateri liceat,  
neminem in TE colendo et pietate et obseruantia vn-  
quam me superaturum. Hoc unicum precor, vt TVO  
PATROCIO SVMMO me dignum habere velis.  
*Sum*

N O M I N I T V O  
C O N S U L T I S S I M O A M P L I S S I M O

Lipſiae  
a. XXVII. Septbr.  
CICILXXIII.

deditissimus  
CAROLVS SEBALDV KLEIN

R E S P O N D E N S



QVID INTERSIT  
INTER FVNDVM ET VSVMFRVCTVM  
FVNDI IN DOTEM DATVM.

---



§. I.

Fauorabilis illa dotum causa non priscais tantum iureconsultis, sed etiam recentioribus amplissimum aperuit disputandi campum. Tot agitatae sunt olim controuersiae, tot agitantur hodie. Nobis non est animus integrum materiam de dotibus pertractare, saltem quasdam meditationes circa fundum dotalem dabimus, et maxime de eo quaeramus: *quid inter sit, si fundus in dotem datus, et si fundi ususfructus dotis nomine sit illatus marito.*

A 2

§. II.

§. II.

Ante vero quam ipsam peroremus causam, videndum est, vtrum haec quaestio proposita ita comparata, ut vera differentia quaedam concipi possit inter vtrumque, fundum scilicet et fundi vsumfructum. Constat enim haud paucos Iureconsultorum in ea versari opinione, vt negent marito dominium fundi dotalis, imo eundem tantum usufructuarium habeant, imo qui eidem dominium concedunt quidem, sed vel singularem dominii speciem contra legum autoritatem excogitarunt, vel huic mariti dominio in fundo dotali singularem adserunt naturam, quod fecit LUDOVICI in Doctr. π. Tit. de iure dot. §. VII. et ad cuius prouocat autoritate in STRVVI S in Synt. I. C. Exerc. XI. Th. V. Magnam culpam fert VLPIANVS in L. 7. §. 12. π. solut. matrim. qui videtur maritum usufructuarii iure indicasse. Sed appage! dein defendantur Domitium nostrum. Forsan TRYPHONI in L. 75. π. de iur. dot. autoritas certior erit, maritum tantum usufructuarium esse dotis? Ait: *Quamvis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est, et merito placuit: ut si in dotem fundum inaequum dedit, cuius nomine duplae stipulatione cautum habuit, isque marito eius sit: statim eam ex stipulatione agere posse.* Cum dos sit mulieris, cum de eiusdeme mulier tantum agat, qui poterit maritus dotis seu fundi dotalis dominus dici? Non ergo videntur forsan errasse, qui maritum usufructuarium dixere? Sed salua res est. Antequam ipsam decidamus quaestionem propositam, tentabimus probare mariti dominium adeo in fundo dotali.

§. III.

## §. III.

Facile patet, omnem nostram disputationem ad ea respicere tempora, quibus matrimonia non contrahebantur per conuentionem in manum et de ea specie, qua vxor dimittebatur ex connubio. Nam cum in manum conuentione filia familias fieret, soluto morte mariti matrimonio heres marito existebat, neque dos repeti tunc poterat. At si dimitteretur vxor, vbi libertus acclamauerat: RES TVAS TIBI HABETO: Rei vxoriae actio introducta ad repetendam dotem, cum causa cessaret, propter quam maritus dotem haberet. Et quis adfirmet vxorem, vbi in manum conuenerat, cum nihil, vt filia familias proprii habere posset, dominam dotis suisse, maritum vero, qui per vxorem acquirere poterat, tantum vsufructuarium. Necesse ergo fuit, vt maritus dotis dominus sit effectus, cum esset dos pecunia, qua soluta vxor sibi acquirebat iura sacrorum priuatorum et agnationis. At cessante hac in manum conuentione, vbi propria sibi habere poterat bona vxor, quaeri poterat, vtrum rerum in dotem datarum dominium transstulerit in maritum, an vero eundem vsufructuarium fecerit, cum dos tantum daretur ad ferenda matrimonii onera, non amplius ad acquirenda sacrorum et agnationis iura. Non vrgeo Legem IULIAM de fundo dotali. Frustra illa lex lata fuisset, si olim dotis vsufructuarium habuissent iura maritum; quid enim opus fuisset prohibere alienationem fundi dotalis, cum rei alienae, qualis tunc fuisset dotalis fundus, ipso iure illicita esset alienatio. Nec poterat vsufructus venditus haberi, cum vsufructus extraneo cedi non posset, teste POMPONIO in

A 3

L. 66.



*L. 66. π. de iure dot.* Neque obiici poterit, Iuliam legem  
forsan de coniubii cogitasse, quae per in manum con-  
ventionem contrahebantur; retinuit enim legis Iuliae au-  
toritatem subsequens aetas, qua conuentio amplius in  
manum non siebat, quod frustra factum fuisset, si ma-  
ritus dotis tantum vsufructarius fuisset, non vero do-  
minus.

#### §. IV.

Magis ergo est, vt legum autoritate probemus, ma-  
ritum fundi dotalis esse dominum. Autor est **VLPIA-**  
**NVS** in *L. 13. §. 2. π. de fund. dotal.* Scribit: *dotalē*  
*praedium sic accipimus; cum dominium marito quaeſitum est:*  
*vt tunc demum alienatio prohibeatur.* Non ergo erit dotalē  
praedium, quod quidem maritus ab vxore possidet, sed  
vt vsumfructum tantum ex eo habeat, quippe tunc non  
praedium in dotem datum, sed saltem seruitus vſusfru-  
ctus in fundo dotis nomine constituta. Est praeterea au-  
toritas Imperatoris **IVSTINIANI** in *pr. I. quib. alien. li-*  
*cet vel non.* Ait: *Quidam rerum sunt DOMINI, et ta-*  
*men alienare non possunt, utpote maritus in FVNDO DO-*  
*TALI.* Lex ipsa maritum dominum fundi dotalis pro-  
nunciat. At non alienat? Recte; haud enim desinit esse  
dominus, cui vnicus dominii effectus ob publicam utili-  
tatem restrictus est. Cum enim aetio Augusti in detri-  
mentum reipublicae inter Romanos matrimonia neglige-  
rentur, paucaque sobolis fieret procreatio, quae tamen  
ad conseruandam reipublicae potentiam necessaria, quo  
Iuliam

7

Iuliam de maritandis ordinibus perferre posset legem,  
eo allaborare debuit, ut quae matrimoniis ab utroque se-  
xu exceptiones obiicerentur, remoueret, masculis ergo  
capite de adulteris sancito, feminis contra altera parte *de*  
*fundo dotali* excipiendi occasionem ademit. Cum enim  
diuortiorum frequens usus saepe praekeret dimissis uxori-  
bus quaerendi causam de non restituta dote, quam  
maritus perdiderat, quique forsitan non haberet, unde re-  
stitueret, ita putauit prospici posse uxoribus, si fundum italicum in dotem darent, cuius licet dominium in maritum translatum, restitutionem haberent, cum alienandi faculta-  
tas maritis adimeretur. Securae ergo de dote illata mu-  
lieres, dummodo italicum fundum in dotem dederant.  
Non inde usus fructuarius factus maritus, nec dominio pri-  
vatus, licet alienatio interdicta.

### §. V.

Sed quid agamus cum TRYPHONINO in L. 75<sup>o</sup>  
*¶ de iur. dot.* Quamvis, inquit, in bonis mariti dos sit,  
mulieris tamen est. Nunquam putasse Iureconsultum  
marito dominium dotis negasse verbis: mulieris tamen est,  
cum ipse postea expresse dicat: quamvis apud maritum do-  
minium sit. Mulieris enim utique dos est, cuius respectu  
adhuc iura uxori competere possunt. Probat id exem-  
pli dupliae stipulationis euictionis nomine promissae.  
Caia, quae sibi fundum Seianum coemerat a Seio du-  
plum stipulabatur euictionis nomine. Post nubit Titio  
eique hunc fundum Seiantum in dotem dat; At hic ipse  
fundus euincebatur a Sempronio probato fundi dominio.

Quae-

~~~~~

Quaerebatur, quis de praestanda euictione agere posset: maritus Titius, an vxor Caia? Caiam putat agere posse TRYPHONINVS: huius, inquit, etiam constante matrimonio, quamvis apud maritum dominium sit, emolumenti scil. euictionis potestate esse creditur. Et vera est Iureconsulti decisio. Licet enim maritus fundi dominium haberet, tamen ex stipulatu de duplo praestando euictionis nomine agebat vxor. Hac enim actione is tantum agere poterat, cui stipulatum erat, seu cui ex stipulatu alter obligatus erat, haud vero is, qui rei euictae possessor fuerat. Neque etiam marito ad euictionem is tenebatur, qui vxori fundum, quem dederat in dotem, vendiderat, auctor enim erat vxori, vxor vero demum marito.

### §. VI.

Supereft tandem VLPIANVS in L. 7. §. 12. π. fol. matr. Sribit: Si fundum viro vxor in dotem dederit, isque inde arbores deciderit: si hae fructus intelleguntur: pro portione auni debent restituui. Puto autem: Si arbores caeduae fuerunt, vel gremiales: dici oportet, in fructu cedere; si minus: quasi deteriorem fundum fecerit, maritus tenebitur. Sed si vi tempeſtatis ceciderunt: dici oportet, pretium earum restituendum mulieri, nec in frustum cedere; non magis, quam si theſaurus fuerit inuentus: in frustum enim non computabitur: Sed pars eius dimidia restituetur, quasi in alieno inuenti. Quo ergo dixerat iure Domitius, theſaurum inuentum in fundo dotali quasi in alieno inventum esse? Itane falso forsitan quod maritum do-

tis

tis dominum dicant? Si maritus dominus fundi dotalis, cur non acquirat ea, quae in fructum non computantur, cum dominus de iure omnia acquirat, quae ad fructum non referuntur? Neque mutandam censeo sententiam, qua dotis dominum dicunt ex Legum autoritate. Neque opus, ut nouum aliquod dominii genus constituamus. Diximus, dotem dari ad onera matrimonii ferenda: datur ergo ad causam. Quare si matrimonium soluitur vel morte, vel diuortio, causa cessat, propter quam dos data. Cessat ergo mariti ius, et restituenda dos. Agit itaque **VLPIANVS** de eo, quod restituere debet maritus, nulla quaestione mota, quid adquisuerat maritus. Nam cum dotis dominus sit, acquirit ut dominus accessiones: at si ob causam cessantem sui dominii restituenda dos, accessiones simul restituenda, haud vero fructus, quos simpliciter suos facit, cum matrimonii fert onera. Sic recte de thesauro iudicauit Iureconsultus, quem ad accessiones refert. Quare si inuenit thesaurum in dotali fundo, quo usque est fundi dominus suum facit thesaurum inueniendo. At soluto matrimonio, ubi quaestio de re dotali restituenda cum accessionibus oritur, tunc non retinet thesaurum, quia ad accessiones quodammodo referebatur, sed restituit; at ne premio inuentionis careat, dimidium restituit, *quasi in alieno inuenisset*, id est, qualiter is obligatur ad dimidium thesauri, qui in alieno inuenit. Palam enim est, particulae *quasi* Iureconsultos vim comparandi tribuere, ut pater ex *quasi* usufructu, *quasi* traditione, *quasi* possessione et aliis. Non ergo mens est **VLPIANI**, marito negare dotalis fundi dominium, sed docere, quid in re-

B

stituen-



situenda re dotali simul restituendum sit. Neque min-  
rum, accessiones plene non acquiri a marito: sicut enim  
dominium tantum temporarium habet in re dotali; ita  
et dominium temporarium habebit in accessione: si uim  
enim principale sequitur accessorium, et ita intelligo  
PAVLVM in L. 7. §. 3. de iure dot. vbi scribit: *Si res*  
*in dote dentur: puto in bonis mariti fieri, accessionemque tem-*  
*poris marito ex persona mulieris concedendam.*

### §. VII.

Iam probato dotis dominio marito competente, ad  
quaestionem ipsam veniamus. Quaerendum vero est  
ante omnia, an seruitus vsusfructus possit in dotem da-  
ri. Posse vtique usumfructum in dotem dari, testatur  
PAVLVS in L. 7. §. 2. π. de iur. dot. Ait: *Si ususfruc-*  
*tus in dotem datus sit: videamus utrum fructus reddendi sunt;*  
*nec ne.* Et Celsus libro decimo digestorum ait, interesse, quid  
acti sit: et, nisi appareat aliud actum, putare se, *ius ipsum in*  
*dote esse: non etiam fructus, qui percipiuntur.* Fit itaque  
maritus dominans, atque uti ususfructarius ex iure serui-  
tutis suos facit fructus, ita maritus quoque ususfructua-  
rii iure fructus percipiendo suos facit, hinc haud resti-  
tuendi erunt, vbi dos restituenda, quippe solum tunc  
ius ususfructus reddit ad proprietarium. Et sicut ususfruc-  
tus in dotem datur, ita quoque nuda proprietas dari  
potest teste eodem PAVLO in L. 4. π. cod. *Si proprieta-*  
*ti, inquit, nuda in dotem datea ususfructus accesserit, incre-*  
*mentum videtur dotis, non alia dos, quemadmodum si quid al-*  
*luiuione*

*Iunctione accessisset.* Neque vero fundi proprii vxoris ususfructus in dotem dari potest, sed et eius, cuius proprietas vxoris non est, qualem speciem POMPONIVS in L. 66. π. de iur. dot. tractat, quaeque dos ad aduentitiam referenda. Ait: *Si ususfructus fundi, cuius proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi a domino proprietatis detur: difficultas erit post diuortium circa reddendum ius mulieri: quoniam diximus, usumfructum a fructuario cedi non posse, nisi domino proprietatis caet.*

### §. VIII.

Alia vero species est, si ipsa vxor ususfructuaria sit, atque usumfructum marito in dotem dare velit, an liceat. Speciem tractat TRYPHONINVS in L. 78. pr. π. de Iur. dot. Cum in fundo mariti habens mulier usumfructum; dotis causa eum marito dedit, quamvis ab ea ususfructus decesserit; maritus tamen non usumfructum habet, sed suo fundo quas dominus utitur, consecutus per dotem plenam fundi proprietatem, non separatam ususfructu. nec est, quod non utendo maritus amittat. Diuortio autem facta constituet in eodem fundo usumfructum mulieri. Non tantum licuisse usumfructum in dotem dare ex ipsa lege patet, verum cum ius ususfructus proprietario cederet, saltem ad bona matrimonii ferenda, et sic, quounque existit matrimonium, proprietario vero ususfructus cedi possit, recte adfirmatur a TRYPHONINO, usumfructum apud maritum cessare, qui dominus fundi sua re fruatur, vtatur. Cum autem licet ususfructus eidem proprietario cessus sit,

B 2

tamen



tamen ob causam onerum ferendorum matrimonii; celsante illa causa, vbi soluto matrimonio dos restituenda foret, maritus, dein diuortio facto, vel marito mortuo eius heredes vxori usumfructum constituere debent. Neque vero ipsa vxor usumfructum in dotem dare potest, sed et ipsius pater, cui ususfructus competit in generi fundo teste eodem TRYPHONINO cit. leg. §. 1. Plane, inquit, si pater filiae nomine, qui in fundo generi usumfructum habebit, dotis constituenda gratia eum dederit, et in matrimonio mortua fuerit: habebit ex sua persona ususfructus petitionem. Et hic ipse TRYPHONIVS ead L. 78. §. 2. de iur. dot. tertiam exhibet speciem, eam videlicet, qua vxor marito in fundo suo usumfructum dotis nomine constituit. Haec sunt ipsius verba: Quod si mulier in fundo suo marito usumfructum dotis causa constituerit: tunc ex mariti persona erit ususfructus proprius: qui et non viendo ipsius pereat.

#### §. IV.

Vidimus itaque ex diuersis his, legibus propositis speciebus, usumfructum posse in dotem dari et dotis nomine acquiri. Et nunc inquirendum, an et quid interfit, si praedium in dotem datum, aut si ususfructus constitutus sit in praedio dotis nomine. Sane, si maritus haud accepti fundi dotalis fieret dominus, sed saltem ususfructarius esset, nihil plane interesset, utrum fundum ipsum in dotem accepisset, an fundi tantum usumfructum. At cum supra a nobis probatum sit, maritum fieri



fieri dominum fundi dotalis, patet plane differre debere iura, si fundus in dotem datus, et si vsusfructus fundi dotis nomine constitutus. Vel etiam ex eo pater, quod ipsae leges separatim tractent de fundo in dotem dato atque de vsusfructu dotis nomine constituto.

§. X.

Sed his probe perpensis facilis erit vtriusque comparatio, neque difficile erit, differentias constituere. Si-  
cuti enim maritus, ipsius dotalis praedii temporarius est  
dominus, ita vsusfructu fundi in dotem dato maritus  
tantum dominans efficitur, eique modo ius seruitutis  
personalis competit. Praeterea alia causa est prohibitae  
alienationis fundi dotalis, alia vsusfructus in dotem dati.  
Nam quamuis maritus sit fundi dotalis dominus, nisi  
eundem aestimato venditionis causa datum in dotem  
possideat, tamen ob legis Iuliae autoritatem non poterit  
alienare fundum dotalem. Contra si maritus fundum  
possideret, in quo ipsi vsusfructus dotis nomine constitutus est, fundum non alienabit, cum fundi proprietas  
ad eum haud pertinet, vsusfructus vero ius alienari non  
poteat, cum sit seruitus personalis, et alienatio facta nulla  
respectu acquirentis, ipse vero vsusfructuarius cedendo  
extraneo ius suum amittit. Nulla itaque Iuliae legis  
prohibitio. Dein vbi fundus in dotem datus, maritus  
meliorare fundum poterit, quare et impensas non tan-  
tum necessarias consequitur, verum etiam teste VLPIA-  
NO in L. 7. §. 1. π. de impens. in rem dotal. facit. utilium

B 3

habet



*habet exactiōnēm.* At vſufructuariū ſaltem ſarta tecta vt habeat, curare debet, non vero reficere et restituere aedes collapses, teſte eodem VLPIANO in L. 7. §. 2. π. de vſufructu. Multo minus meliorare fundum vſufructuariū poterit, qua forma iſpſius mutaretur, vt ſcribit idem VLPIANVS in L. 13. §. 7. π. eod. Praeterea ſi fundi in dotem dati ſuperficies perierit, cum maritus dominus sit, area adhuc dotalis manet, contra, ſi fundi vſuſructuſ in dotem datus et fundi ſuperficies pereat, celiabit vſuſructuſ, neque dotem amplius habet maritus, quae interitu ſuperficiei ſimil interit.

### §. XI.

Tandem multum intereſt, ſi de dote restituenda ſoluto matrimonio agatur. Nam ſi res in dotem data immobilis ſeu fundus, videndum, an forſan aeftimato venditionis cauſa fundus datus ſit in dotem, niſi ſibi elec-  
tionem feruauerit coniux, vtrum mallet repetere iſpum fundum, an vero aeftimationem fundi, ſoluto matrimonio teſte AFRICANO in L. 11. π. de fund. dotal. in arbitrio mariti eſt alienatio, hinc vel iſpum fundum, vel aeftimationem poterit restituere. At ſi vel aeftimatus fundus taxationis ergo, vel plane inaeftimato datus ſit in dotem, ſoluto connubii iure dominium fundi, quod hactenus apud maritum erat, redit ad coniugem, ſicque iſpe fundus restituendus. At longe alia cauſa eſt in vſuſructu fundi in dotem dati; quippe fundus vſuſructuariū dotalis quidem reddendus eſt, ſed non dominium

nium, quod vſuſfructario marito haud competiit; at qualiter vſuſfructus restituendus sit, causam perorat MARCELLVS in L. 57. π. ſolut. matrī. Singula illa themata exhibet, quae ſupra ex Tryphonino proposuimus. Ipta Iureconfulti verba adſcribamus, cum ex iis clariflma cauſarum decisio appetat. Ait: *VSVFRVCTV* in dotem dato, ſi diuortium interuenierit; nec proprietas rei apud maritum vel mulierem fit: (ſeu cuius fundi proprietatem tertius quispiam in bonis habet,) eam dotti eſſe reſtitutionem; vt maritus caueat, quamdiu vixerit, paſſurum ſe vti frui mulierem heredemque eius. quod an verum fit circa adiectionem heredis, (ſeu vt heredi liceat vti frui,) dubito. intereft, quemadmodum fit vſuſfructus in dotem datus. Si cum haberet mulier fructum, viro, cuius erat proprietas fundi, vſuſfructum ceffit; nihil mulier heredi ſuo relinquet. debebatur enim ei vſuſfructus, qui ad heredem non ſolet tranſire, ſcili- cet, quod vſuſfructus fit personalis ſervitus: hinc omnis reſtitutio cefſat, cum vſuſfructus expiaret atque redeat ad proprietarium maritum. Quodſi fundi ſui fructum mulier viro ceffit, reſtitui is a viro debet, cum proprietate enim ad heredem eius tranſiſſet, ſi vir in reddendo eo non feciſſet moram. Si vero alienata fit proprietas, aut aliquis fundi ſui vſuſfructum, mulieris iuſſu, viro eius dederit in dotem: iuſſi- piciendum eſt primum, quemadmodum mulieri poſſit reſtitui. Poteſt autem vel cautionibus interpoſitis: vt, ſicut poteſt, vir iure ſuo cedat mulieri ſruique eam patiatur: vel, ſi ſe accom- modauit dominus proprietatis, volente eo mulieri conſtituantur vſuſfructus. Nam aut fructum fundi ille mulieri poterit ce- dere; aut aliiquid videlicet pro eo, vt inter eos auctum fuerit, dare. Nam et finge hoc ipsum mulierem poſſe proprietatis

doming



domino vendere, quo casu non inique, etiam mulieris herede  
agente, vir facere cogetur. quippe si moram non fecisset, pre-  
mium fructus, mulier heredi suo reliquisset. quod si facultatem  
vhusfructus vendendi proprietatis domino mulier non habuerit:  
patientiam, quam percipiendi fructus praestare ipsi debuit, et  
iam heredi eius praefat.



T. 105


VD  
18

ULB Halle  
002 689 030

3







B.I.G.

Black

White

3/Color

Red

Magenta

Cyan

Green

Yellow

Blue

Q V A E S T I O

I V R I S C O N T R O V E R S I

Q V I D I N T E R S I T

I N F V N D V M E T V S V M F R V C T V M  
F V N D I I N D O T E M D A T V M

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P V B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

D I E X X V I I L. S E P T. A N N O C I C I O C C L X X I V.

D E F E N D E T

C A R O L V S S E B A L D V S K L E I N

P E G A V I E N S.

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

1774, 12.

7